



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Appellationibus. Consilium CCII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

omnino operatur; non aliter quam si confiteretur sententiam esse injustam, quæ omnino retractari, seu nulla declarari debet, *Felin. in d. c. Inter ceteras nu. 11. vers. Cum his adde.* Quare magnopere curandum non est, quod in rescripto restitutorio seu reparatorio adversus desertionem ex causa hujus spurietatis subiecta sit hæc clausula, *Prout de iure.* Nam concessio (non enim vidimus rescriptum) quod illa tamquam finalis ad omnia præcedentia ex æquo pertineat, ac referri debeat, ut plerumque fit, *l. Talis scriptura §. fin. & ibi DD. delegat. 1.* semper manet impedimentum, & vitium nullitatis ex notoria injustitia; cuius cognitio semper refricari potest, usque ad triginta annos, quantumvis adversus rem iudicatam non soleat dari reparatio audientis vel nova cognitio iudicatum enim dici non potest, quod nullitatis vitio laborat, *l. 4. §. condemnatum De re iud.*

10. Quæ consideratio hoc quoque efficit, ut quadriennij, quod restitutioni in integrum impetranda præscriptum est, *l. 1. de restit. in integ. l. ult. c. de tempor. restit. in integ.* ratio hic haberi non debeat; cuius ratio habetur in vera integri restitutione, quam etiam inferior, non tantum Princeps, concedere potest, *c. penult. de restit. in integ.* non perinde in reparatorio remedio, quod restitutioni in proposito conjunctum fuisse videtur; cuius solius potestatem Princeps secundum supradicta habet, sine temporis præfinitione. Cum alioqui in articulo tam reparationis, quam restitutionis in integrum omnem scrupulum amoveat Catharix interventus, quæ horum bonorum, de quibus controversatur, ex dissoluto matrimonio parentum suorum secundum communem patriæ consuetudinem Leodiensis, & locorum vicinorum effecta proprietaria, nullum damnum in ea pati potuit, vel debuit, ex negligentia matris; sic saltem, quin ei per restitutionem in integrum succurri potuerit intra quadriennium à completa ejus minore ætate: ante cuius quadriennij lapsum hæc restitutio petita proponitur. Atque ita uno ductu coherentes plures quæstiones satis solutæ sunt, *l. sicut & ibi gloss. in verb. servanda c. de præscript. 30. annor. l. Non est incognitum c. Quibus non obijc. long. temp. præscript. l. 1. c. si adversus usucapionem.*

11. Rectè quoque ad incertitudinem sententiæ per Dominum Wyngarden latæ obijcitur, quod per illam confirmantur conventiones antenuptiales Cenaci probatæ; cum & illæ probationes incertæ sint, neque in omnibus & per omnia convenient, & ut proponitur, pari numero inter se dissident, idæque inter se colliduntur nec fidem mereantur, quamdiu Iudex ad alteram partem testimoniorum meorum animi sui non accommodat, specificè declarando, quibus potius stet, & fidem adhibeat, *l. Ob carmen §. si testes de testib.* & dum declarat se approbare Cenaci probatas conventiones, non aliter in effectu facit, quam qui cum duos Titios habet, alterum se legare dicat, *l. Duo sunt Titij De testam. tutela;* certum autem est sententiam ratione incertitudinis nullam reddi, *l. 3. & 4. c. De sent. qua sine cer. quant. tit. profer.* Et hoc ita quidem, si aliunde ex actus deprehendi non possit, quod Iudex de illis senserit, quæ pro Baltazare itant, *d. l. 2. c. De sent. qua sine certa quant. prof.* quod vel ex eo præ-

fumi ac colligi posset, si sic concepta esset sententia, ut secundum Baltazarem iudicatum dicendum sit; veluti si Anna in expensis litis condemnata sit.

Quod quæritur ulterius, an non ob id nulla quoque dici possit sententia Decani Sanctæ Crucis, quod pronuntiaverit sententiam per Dominum Wyngarden latam esse nullam, & iniquam, quasi contrarietatem implicet, *Alex. consil. 49. In causa & lite nu. 3. vol. 7.* difficultatem non habet: nam cum nullitatis, & iniquitatis accumulatio de iure admittatur, ut ante diximus, *Bart. in l. si expressum de appellat.* utriusque potestatem in iudicando habet Iudex etiam conjunctum; præsertim cum ex notoria iniquitate sententia dicitur nulla, non tantum ex defectu jurisdictionis; * quia, ut rectè dixit 12 Baldus, *in l. eos nu. 10. vers. poterit etiam pronuntiare super utroque c. de appellat.* omnis sententia, quæ nulla est, rectè etiam dicitur iniqua. Propter quam Baldi considerationem Marcus Ant. Natta, *Consil. 211. Reverende Pater nu. 1.* ex cuius responso hæc difficultas movetur, non audent in eo consistere, quod repugnantia, & nullitas sententiæ constitui possit, si Iudex conjunctim dicat sententiam nullam & iniquam. Et hæc quidem secundum proposita.

De Appellationibus.

SUMMARIUM.

De nullitate vel iniquitate sententiæ an cognoscat executor.

1. Executor vel alius Iudex non cognoscit de sententiæ cuius executio petitur.
2. Sententia ius facit inter litigantes.
3. Executor dubitans de sententiæ, causam remittit ad eum, qui iudicavit.
4. Qualitate quæ quis in principio litis egit, eadem condemnatus præsumitur.
5. Officiarius calumniose agens condemnatur in expensis etiam proprio nomine.
6. Sententia quando non sit libello conformis.

CONSILIUM CCII.

RECTE & ordine Magnificus Dominus Rector decima quinta Septembris novissimè præteriti, statim & sine ulla cunctatione, pro juris subsidio requisitus, suo Promotori mandavit executionem, per litteras Magistratus oppidi Lovanienfis, pro parte Ioannis vander Bielt, adversus Magistrum Antonium Vanney requisitam, nulla etiam abhibita cognitione quoad validitatem sententiæ, cuius executio petebatur: uti constat ex notoriali annotatione dictis literis requisitorialis subiecta. † Postular enim juris aperta dispositio, & civilitatis humanitatisque ratio, ut Iudex condemnati alicujus requisitus ab alio Iudice, qui condemnavit, officium suum in facienda executione sententiæ adversus condemnatum exhibere debeat: & quidem promptè & statim sine ulla alia cognitione super validitate vel invaliditate latæ sententiæ, cuius executio requiritur, *c. pastoralis §. quia vero de off. Iudic. delegati.* Potissimum tunc, cum requisitus Iudex iniurisdictione requirentis non est superior, Guido Pape *decis. 574.* sed vel inferior; vel sine ulla subalternatione

tionem alterius stationis: ut est cum Iudex Ecclesiasticus laicum Iudicem, vel e contra Laicus Iudex Ecclesiasticum Iudicem per literas requisitoriales, seu, ut vocant, compassus, *Zafus in l. a. d. d. r. §. sententiam De re iudic.* requirit pro executione sententiae per eum latae, l. *Episcopale C. De Episcopali auctoritate. DD. in d. §. sententia.* Cognitor enim esse non debet, sed nudus & merus executor; qui post sententiam inter partes plenam cognitionem auditam & discussam lite prolatam, pro executione sententiae additur & requiritur, l. *Executores C. De execut. rei iud. l. Si praetor iusserit D. De iudicis. V. l. que adeo, ut si sic additus vel requisitus sibi vindicet partes Iudicis seu cognitotis, circa ipsam sententiam, vel aliquid, quod executioni sententiae repugnet, vel illam remoretur, statuit vel decernit, id sit omnino nullum, l. si ut proponit C. De execut. rei iud.*

2 Cum enim sententia inter litigatores lata post legitimam & plenam causae cognitionem, & postquam illa in rem transivit iudicatam, ius faciat inter partes, etiam si iniqua sit, l. *Sive D. De liber. agnosce. DD. in l. Qui Romae §. duofrater. D. De verb. obligat.* sine alia seu ulteriore cognitione executioni omnino mandari debet; non etiam ad aliam cognitionem admitti, ne litium nullus sit finis, & ut lis ex lite non feratur; ne quidem praetextu falsitatis aut nullitatis, quae evidenter ex lectione sententiae ultro non apparet, ultroque sese non ingerit, l. *Satis C. ad L. Corn. de falsis. Ioach. Mysing. cent. 3. observat. 69.* Et summum, quod pro executione sententiae Iudex requisitus facere potest, est, ut si quid ex ante gestis per condemnatum adversus sententiam proponitur, quod illius vel nullitatem vel iniquitatem arguat seu redarguere possit, non ipse de eo cognoscere, sed cognoscendum & determinandum ad Iudicem, qui executionem mandat, vel pro executione faciendam requirit, referre & remittere debeat, ut aperto liquidoque iure decum est, in *c. De cetero de sent. & re iud. c. Super eo De crim. falsi.* Proinde huic suae primae promptitudini insistere debebat Magnificus Dominus Rector, & minime postea ad petitionem dicti M. Antonij per suum decretum vicissima Septembris requisitam, permissam, & mandatam executionem suspendere, dictoque Antonio potestatem facere proponendi causas & rationes, cur dicta sententia executioni mandari non debeat: praesertim quia pro parte M. Antonij neque in specie, neque in genere adversus dictam sententiam aliquid, unde vel nullitas vel iniquitas illius redargui vel apparere posset, dictum aut propositum haecenus fuerit.

Ceterum cum id quod factum est insectum fieri nequeat, & ad superandam M. Antonij tergiversationem ita decretum esse verosimile sit; hoc unum restat, ut deprehensa calumniā, & iniustitiā eorum, quae dictus M. Antonius ad remorandam vel impediendam executionem objicit, demonstretur eo loco ista esse, ut ulterius impedimentum requisitae & decretae executioni facere non debeant, sed huc usque in suspensio retenta executionis potestas Promotori relaxari. Duo sunt quae M. Antonius objicit: prius, quod ipse per sententiam Magistratus Lovanensis proprio nomine condemnatus sit in expensis litis; qui tamen proprio

Conf. Wamel. Tom. I.

nomine non egerit, sed nomine officij & in qualitate Receptoris dicto Ioanni licem intenderit; ideoque nisi in hac qualitate condemnati non potuerit; persuadens sibi ex ea causa sententiam libello non esse coforem, ideoque nullam, l. *Ve fundus D. Commun. divid.* Alterum, quod expensae litis, quarum executio petitur; per Secretarium Magistratus fuerint taxatae sine praecedente commissione. Verum in neutro horum aliqua potest constitui probabilitas; sed in utroque manifesta relucet, si non calumnia, saltem cavillatio.

Nam quod ad prius attinet, ex parte dicti Antonij nulla ratione probatum aut ostensum invenitur, quod in alia qualitate sit condemnatus in expensis litis, quam in & ex qua ipse egit: ita ut cessante hac demonstratione & probatione, non tantum de rectitudine, sed etiam de rititudine dictae sententiae, quae in rem transivit iudicatam, omnino praesumi debeat quamdiu evidenter contrarium non probatur, *c. Bona memoria l. vers. Nos igitur De elect. c. sicut in fine De re iudic.* Neque ulla potest esse praesumptio, quod M. Antonius in alia qualitate fuerit condemnatus in expensis, quam in seu ex qua contra dictum Ioannem iniuste egit. Qui enim in aliqua certa & praecisa qualitate in principio iudicij egit aut conventus est, praesumitur in sequentibus omnibus & singulis iudicij actibus & partibus in eadem qualitate egisse, conveniri, & condemnari, etiam si in singulis actionibus huiusmodi qualitas in specie seu individuo repetita seu adiecta non fuerit, *Barol. in l. Si ita stipulatus §. Chrysogonus col. penult. De verb. obligat. & in l. Qui servum De interrog. actio.* Cuiusque enim rei principium, tamquam pars potissima, l. *De orig. iur.* maxime inspicere debet, l. *Supplicatorem in princ. D. Mandati;* & praesertim circa qualitatem personae, sub qua negotium geritur aut actus expeditur: cum alioqui in dubio nemo facile praesumatur a semel suscepta qualitate recedere, aut eodem actu variare, l. *Nam ad ea de condit. & demonstrat. Bald. in l. Procurator qui pro evizione D. De procurat.* Cum igitur dictus Antonius aperte proponat & confiteatur, se coram dicto Magistratu contra praefatum Ioannem actionem instituisse in qualitate Receptoris, & per sententiam Scabinorum absoluto Ioanne se in expensis esse condemnatum; nulla potest esse praesumptio, quod in alia qualitate, qua qua egit & processit, sit condemnatus, quamdiu non probat se in alia qualitate esse condemnatum: ita ut nimis frivola sit hac oppositio, quae executionem ob id nullo modo remorari debet. † Sed etsi ex formula sententiae constaret dictum Antonium nomine proprio seu privato condemnatum esse ad has expensas, & non in ea qualitate, qua contra Ioannem processit; nihilo magis nulla dici posset dicti Magistratus sententia. Hoc enim iure constitutum est, quod qui sub nomine & titulo officij seu administrationis alicujus calumniosas lites adversus alium seu alios instituunt & persequuntur; suo proprio nomine in expensis condemnari possint, ne sub praetextu nominis alieni securē alios litibus vexent, l. *Non est ignotum & ibi gloss. in v. condemn. C. De admin. turo. l. Quoties §. sicut in fine D. eod. tit. l. Pella C. De his quib. ut indig. Vt verē dictus Antonius praefatum Ioannem vexavit, extorquendo ab*

li 4

cedera

eodem provisionaliter multam circiter nonaginta florenorum, quam per dicti Magistratus sententiam in principali negotio latam Ioanni restituere condemnatus fuit, absoluto Ioanne ab iniqua impetitione: cui sententia Antonius statim acquiescendo provisionaliter solutam pecuniam restituit, & iudicatum fecit: ut mirum sit cur eadem non fecerit seu faciat quoad dictarum expensarum condemnationem. * Neque sane ullo modo argui posset aliqua dictae sententiae nullitas, vel illius à libello difformitas, si Antonius proprio nomine condemnatus fuisset: tunc enim sententia libello dicitur non esse conformis, cum Iudex de alia re iudicat, quam actum est; non etiam cum aliter iudicatur quam petitur, *post in d. l. ut fundus*, cum jus patitur proprio nomine condemnari ad expensas eum qui alieno nomine calumniose egit, *d. l. non est ignor.* & sibi ipse imputare deberet Antonius, quod calumniosam litem instituendo Magistratui occasionem dederit, se etiam proprio nomine condemnari ad expensas. Sed frustra scrupulosius de his agitur; cum manifestum sit Antonium in eadem qualitate condemnatum esse, quia Reus absolutus est, quaque ipse contra Ioannem egit.

Alterum quod de defectu commissionis ad taxationem faciendam proponitur, perinde frivolum est; tum quod ad diluendam hanc objectionem acta commissionis quarta huius mensis Novembris sit exhibita, & per procuratorem Antonij in termino novissime servato satis recognita; tum quod ex literis requisitoriaibus dicti Magistratus satis constet ejusdemodi taxationem ex voluntate ejusdem Magistratus esse factam per hoc quod super ea hanc requisitionem fecerit.

Cum hec itaque ita se habeant, officium Magnifici Domini Rectoris erit requisitam executionem semel permissam & imperatam, sublatà suspensione, iterum permittere & suo Promotori injungere, praefatumque Antonium in expensis hujus oppositionis condemnare; non obstanti frivola altercatione seu petitione proposita in termino novissime apud acta servato; quae alio non tendunt, quam ad longiorem dilationem & remoram petita & concessa executionis, *d. l. satum*, & in omnem eventum nihil relevare possunt.

De Appellationibus.

SUMMARIVM.

Appellatione deserta quae sit habenda ratio expensarum.

1. *Expensae litis luit deserens appellationem.*
2. *Expensa litis post interlocutoriam non etiam post definitivam sententiam peti possunt.*
3. *Expensa iure actionis quando petantur.*
4. *Expensa litis ob interlocutoriam non semper recuperantur per definitivam.*

CONSILIUM CCIII.

ISTA & rationi omnino consentanea est petitio condemnationis expensarum, quae per occasionem frivolarum, rejectarum, atque etiam desertarum appellationum in hac causam factae sunt, citra decimam nonam mensis Septembris novissime praeteriti in hunc usque diem, tam diu per occasionem huiusmodi ap-

pellationum retardato cursu negotij principalis: * quippe appellatione per appellentem deserta aut per Iudicem rejecta, parti, adversus quam sic appellatum est, reficiendae sunt expensae, *c. v. de bitus c. sepe c. Reprehensibilis, c. Nicolas de appell.* idque perinde per sententiam iudicis, à quo appellatum est, ut illius, ad quem appellatum est, *Bald. in d. c. sepe per illum text. & ibi Phil. Francus vers. tertio queritur*. Cum igitur per sententiam interlocutoriam venerabilis Domini Commissarii septima Octobris latam declaratum sit, priorem partis reae appellationem fuisse nulliter, inepte & contra juris ordinem interposita, ea quae ex causa formaliter rejecta, & posterior appellatio, nullis petitis apostolis, *c. 1. de appellat. lib. 6. Clement. Quamvis eod. tit.* nec ulla illius facta prosecutione, sed per ulteriorem partis Reae comparitionem, factam nona mensis Ianuarij, manifeste sit deserta, *c. Gratianum vers. in secundo de offic. & potest. iud. deleg.* nulla est dubitatio, quin expensas ea occasione factas pars Rea refundere debeat, etiam non obstante quod supradicta interlocutoria dicta die septima Octobris condemnationem expensarum adiunctam non habeat. * Nam etsi sententi ad definitiva sine condemnatione expensarum lata, de expensis litis nulla amplius possit esse questio, *l. terminato c. de fructib. & l. expens.* idem tamen non obtinet in sententia interlocutoria: quia uti per hanc Iudicis officium non finitur, ut sit per sententiam definitivam, ita post latam interlocutoriam omnia condemnatio expensarum in quacunque parte litis ante sententiam definitivam per partem adversam peti & per Iudicem suppleri potest, *l. terminato vers. Querit extra & in l. si pignore D. de pig. actione.* * Et quidem longe potentiore jure huiusmodi incidentis articuli expensae peti possunt, quam totius causae principalis: ob id, quod expensae negotij principalis seu ex sententia definitiva, non jure actionis, sed ex officio iudicis debeantur, *dd. in d. l. terminato, propterandum §. sine autem alterutra C. de iudic.* ideoque illo finito nulla persecutionis illarum sit potestas; quia Iudex officio suo functus est, *l. Iudex posteaquam dicitur iudic.* At vero expensae quae debentur ratione incidentis articuli seu interlocutoriae sententiae, & praefertim ex desertione appellationis, debentur victori jure actionis, & conditione ex canone, *c. Reprehensibilis de appell.* ut eleganter tradit Philippus Francus, *in c. Ex ratione in 7. membro princip. vers. sed queritur primo, & in c. sepe vers. Octavo queritur de appell.* Nec hac in re exaudenda est partis Reae contradictio, per quam non tam declinare quam differre nititur hanc condemnationem expensarum, centendendo eam esse reiiciendam & reservandam usque ad pronuntiationem sententiae definitivae. * Cum enim petitio illarum ex causis praedictis in quacunque parte litis de jure sit fundata; Iudicis officio incumbit huiusmodi petitioni sese incontinenti accommodare; cum aliae & preparatae sint expensae incidentis articuli, aliae principalis negotij; & iusta possit esse occasio condemnandi ad expensas interlocutoriae eum, pro quo forte postea sententia definitiva cum condemnatione expensarum profertur; per quam nulla ratio recuperari possunt expensae ratione incidentis prius